



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Cùm decuerit, Deum rerum naturis vim non inferre, multa inde
necessariò existere; quæ mala putantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

aliquid perpetiuntur; sententiâ prorsus diuinis litteris aduersâ, cum, in illis, beati vocentur, qui propter iustitiam, persecutionem patiuntur; & charissimi DEO dicantur, in Mundo, pressuram habituri. Quod si perpenderent isti, minùs multò audacter quiritarent, quàm nunc quiritant, & linguam ad suos potiùs mores diuertent, quàm ad accusandam diuinam bonitatem.

C A P V T II.

Pleraq, quæ vulgò mala dicuntur, bona esse; aut in bonum usum, posse adhiberi.

I. **A**D communem Mundi gubernatorem pertinet, eadem lege, eademque naturæ conditione, uti erga omnes, ut dici possit: *Rex Iuppiter omnibus idem.* Necessè igitur fuit, ut ignis vim vrendi aquæ, ac lucendi; & omne corpus, ex elementis conflatum, perinde interitum suum, ac ortum haberet; neque ea, quæ ad rerum generationem atque corruptionem spectant, prohiberentur. Hinc morbi, mortes, & multa, quæ mala vocantur, intercurrunt: quæ quando rerum naturis conuenienter condidit DEVS, non utique iratus fuit, cum non haberet, cui irasceret. Ut sol omnibus lucem circumferret, moueri debuit; si moueri, occumbere. Nec enim rursus oriri posset, si non occumberet. Quare necessaria est noctis & diei vicissitudo. Nec homines hominibus, in officijs, in regnis, in potestate succederent; si non decederent, qui ea priùs habuere.

II. Per hæc, æterna sapientia ita Mundum gubernandum iudicauit, ut, quæ malis mala sunt, quia ipsi nesciunt vti, ea bonis bona fiant; & hinc isti viuant, sicut liliam inter spinas; illi, sicut asinus inter apes. Hac de causa Gentes ita alloquitur Tertullianus: *Qui semel (DEVS) æternum iudicium destinauit, post seculi finem, non precipitat discretionem, quæ est conditio iudicij, ante seculi finem. Equalis est interim, super omne hominum genus, & indulgens & increpitans. Communia voluit esse & commoda profanis, & incommoda suis; ut pari consortio omnes & lenitatem eius, & seueritatem experiremur: quia æquitatem didicimus, apud ipsum, diligimus lenitatem, metuemus seueritatem. Vos (Gentes) contra utramq, despicitis: & sequitur,*

III
ad illud
supra
Tertullianus
in Apologet.
aduersus
Gent. c. 41.

CERT. 2. 2.

Tertullianus in
Apologet.
aduersus
Gent. c. 41.